



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Ivdica. Euangelium Ioannis. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

reliquias, ne quid pereat. Suntq; duae uicinæ uirtutes, Liberalitas, & Parsimonia.

DE QVARTO.

ALlegoria est dulcissima, Significat enim distributionem doctrinae. Hæc crescit agitando: Sicut alibi dicit Paulus. Colonom oportet primū de fructibus percipere: Ita docens primū accipit præmia à Deo, illustratur ipse maiori luce. Deinde reliquiae uerae doctrinae diligenter, & cum delectu seruandæ sunt. Quare & nos ueterum monumenta, sed cum delectu seruemus. Ac utinā eius rei maior cura fuisset, & monumenta tradita per Apostolorum discipulos conseruata essent.

Cophini significant literas, & eruditionem, quibus conseruari monumenta debent.

*Allagoria
in d'orto,
colligitis
reliquias.*

DOMINICA IVDICA.
Euangelium Ioannis .VIII.

Quis ex uobis arguet me de peccato? Si autem ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex Deo est, uerba Dei audit, Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt

DOMINICA

xerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? Respondit Iesus, Ego demonium non habeo, sed honoro Patrem meum, & uos inhonorastis me, Ego autem non quero gloriam meam, est qui querit, & iudicat.

Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum. Dixerunt ergo ei Iudaei, Nunc cognouimus, quod demonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetae, & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in aeternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et Prophetae mortui sunt. Quem te ipsum tu facis?

Respondit Iesus, Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est, Est pater meus, qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus uester est, & non cognouistis eum, Ego autem noui eum, et si dixerero quod non nouerim eum, ero similis uobis mendax, sed noui eum, & uerbum eius seruo.

Abra

Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum, et uidit & gaudens est. Dixerunt ergo iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes & Abraham uidisti? Dixit eis Iesus. Amen amen dico uobis, antequam Abraham esset, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

PRIMVS locus, Aseueratio quod recte doceat, & sit missus a Deo.

II De causa pertinaciæ, seu indurationis impiorum.

III Refutatio cõuicti, quod ad doctrinam proprie pertinet.

IIII Doctrina propria Christi, quod sit missus, ut aboleat mortem.

V Altercatio mutua, an Christus antecellit Patribus, & Prophetis: & quomodo Patres, & Prophetæ falsuati sint.

VI Testimonium de diuinitate filij.

DE PRIMO.

OMnes docentes in Ecclesia oportet habere hanc certitudinem, quod recte doceant, Ideo Christus inquit, sibi non posse obijci peccatum, licet

DOMINICA

licet, quod sit Pseudopropheta, qd' sit impostor, De hac specie præcipue loquitur. Etsi enim & alioquæ sine peccato fuit, tamē præcipua quæstio est de ministerio. et regula cōmunis ad ōnes pertinet. Omnes sint certi, se uera docere, sicut inquit Petrus: Qui loquitur, loquatur sermones Dei: Deinde etiam caueant, ne doctrinam scandalis deforment.

DE SECUNDO.

CAusa pertinaciæ, et indurationis impiorum, est ipsorū peruersa uoluntas, deserta à Deo, quia contra conscientia aduersata est doctrina, et deinde cōfirmata à Diabolo, qui impellit, ut humanas persuasiones ipsi sibi exaggeret, querant prætextus sui odij. Vt Iudæi argumētabantur, Legem Moisi à Deo traditam esse, non posse mutari, promissum huic populo regnum, politiam diuinitus cōstitutam non esse dissolucendam. Hæc erant speciosa, & plausibilia, quibus paulatim, & alebantur, & confirmabantur timonica odia. De talibus loquitur Paulus Roma. 9. Et Psalmus. 69. Dorsum eorum semper incurua. Ita nunc disputant sapientes, magnam esse autoritatem Ecclesie, non labefactan. lum esse statum ordinis Ecclesiastici, &c. His fascinati imaginationibus, maiores paulatim flammæ odij aduersus Euangelium concipiunt. Ideo simus intenti, ne Diabolus offundat nobis persuasiones

suasiones, quæ odium aut contemptum Euangelij pariant, ne postea sequatur hæc horrenda pœna, excoecatio, uel induratio Pharaonis, seu Iudæ, de quo dicitur: & ingressus est in eum Satanæ. Ita hic dicit: Qui non sunt ex Deo, non audiunt, id est, deserti à Deo. Deseruntur autem propter blasphemias.

DE TERTIO

Christus alterum conuitium præterit: alterum refutat. Dæmonium habes. Hoc enim proprie pertinebat ad doctrinam. Talia conuitia refutare pars est necessaria confessionis.

DE Q V A R T O .

Si quis sermonem meum seruabit, mortem non uidebit in æternum. Hæc uidebatur esse mira uox, & longe supra hominem, quia pollicetur uitam æternam. Deinde hoc offendit Iudæos, quod non inquit: Si quis sermonem Moysi seruabit. Item quod discrimen est inter sermonem Moysi, et Messie? Non existimabant Pharisei Messiam allatum esse aliam doctrinam, præter Mosaicam. Sed hic testatur, se alium sermonem afferre, scilicet, Euangelium, hoc est, dicit se mitti, ut sit uictima pro peccato, & homines reconciliari Deo, non per legem Moysi, sed fiducia Messie, &

hæc

DOMINICA

hac fiducia Deum inuocandum esse, & regnaturum esse Messiam in caelo, ac gubernaturum suam Ecclesiam Spiritu Sancto, & uerbo: non futurum mundi Dominum, qui politica imperia teneat, Ecclesiam futuram in Cruce, non habituram imperia mundi. Hic sermo longe differt à Phariseorum opinionibus, quas de lege ipsi habebant.

DE QVINTO.

Hic ipse Articulus est proprius Euāgelij, quod Messias antecellit patribus & Prophetis. Sicut Iohannes inquit. Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideo omnes Sancti ab initio usq; ad finem uno & eodem modo saluantur, scilicet, fide; qua credunt Deum ipsis remittere peccata per misericordiam, propter liberatorem promissum. Hac fide se, Adam, Abraham, Moyses, David, & omnes Sancti consolabantur, hac fide placebant Deo, hac fiducia Deum inuocabant. Ideo hic dicitur: Abraham uidit diem meum, & letatus est, agnouit in promissione meum aduentum, mea beneficia, Et letatus est, id est, accepit remissionem peccatorum nouam lucem, & inchoationem uitae aeternae, quae est leticia, pax, &c. Sed Pharisei longe alias opiniones de Messia habebant, erant oppressi imaginationibus iusticiae legis, nihil norant de fide in Messiam, aut de uictima pro peccato, tantum expectabāt

peccabant regnum mundanum. Ideo has conciones Christi furenter detestantur.

DE SEXTO.

Testimonium hic clarum exstat, quod Filius Dei fuerit etiam ante assumptam carnem. Sicut clare dicit: Antequam Abraham natus esset, ego sum. Sed hoc declarandum est ex primo capite: In principio erat uerbum, &c.

DIE PARASCEVES

DE PASSIONE DOMINI

nostri Ihesu Christi.

Triplex est meditatio passionis Filij Dei, Paedagogica, Spiritualis, & exemplaris.

Paedagogica est saepe legere ipsas narrationes, discende, aut docende historiae causas, et quaerere testimonia Prophetarum, & causas: an Deus uoluerit Filium pati, cur uoluerit eum pati, quomodo natura humana sit subiecta peccato, an redempta per solum filium, &c. & confirmare tali lectione fidem, qua adsentimur Historiae. Haec diligentia etiam est utilis, et sine hac sequentes usus haberi non possunt. Ideo haec lectio, & cogitatio sit crebra, ut simul accedant sequentes usus.

Spiritualis meditatio haec est. quia filium Dei oportuit fieri hostiam, agnoscere magnitudi-

L

nem